Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ut hoc eis fuerit mirum ad aspectum mortalium in aliqua forma corporea de spiritali secreto procedere. quia pater qua non fecerit tantum modo misisse non etiam missus esse dicatur. Deinde quaestionem est cur et pater non aliquando dicatur missus. si per illas species corporales quas oculis antiquorum apparuerunt ipse demonstrabatur. si autem filius tantum demonstrabatur cur tanto plus missus diceretur cum plenitudo temporis venit ut ex femina nasceretur quando quidem et antea mittebatur cum in illis formis corporalibus apparebat. aut si non recte missus dicetur nisi cum uerbum caro factum est. cur spiritus sancti missus legatur cuius incarnatio talis non facta est. si vero per illas antiquas demonstrationes nec pater nec filius sed spiritus sanctus ostendebatur cur etiam ipse non diceretur missus cum illis modis et antea mitteretur. Deinde subdiuisimus ut haec diligentissime tractarentur. et interim fecimus quaestionem cuius una pars in secundo libro explicata est. duae autem reliquae de quibus deinceps disserere aggrediar. Iam enim quaestum atque tractatum est in illis antiquis corporalibus formis et uisis non tantum modo patrem nec tantum modo filium nec tantum modo spiritum sanctum apparuisse. sed aut indifferenter dominum dominum quasi trinitas ipsa intelligitur aut quilibet ex trinitate personam quam lectionis textus indicii circumstantiis significaret.

Vtrum cum dis hominibus visus est ipse per assumptam creaturae speciem apparuerit an uero angeli ex persona ipsius sint locuti.

1. Nunc ergo primum quaerimus quae sequuntur. Iam secundo loco in illa distributione posuimus utrum ad hoc opus tantum modo creatura formata sit in qua dis sicut oportuisse iudicatur humanis ostendere aspectibus. an angeli quia erant ita mittebantur ut ex persona dei loquerentur assumentes corporalem speciem de creata corporea in usum ministerii sui aut ipsum corpus suum cui non subdunt sed subditum regunt mutantes atque uertentes in species quas uellent accommodatas atque aptas actionibus suis secundum